



V, 82.

2.417a



CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
HERMVNDVRORVM  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. II.

---

VT. AD  
AVDIENDOS. BENEVOLE  
D. XXVII. MART. CICICCLIM  
H. L. Q. C  
IN. ILLVSTRI. CVRIANO  
TRES. EIVS. CIVES. IN. ACADEMIAS. ABITVROS  
CVRIAEC. PROCERES. CIVES. Q  
RITE. INVITET  
EIVSDEM. RECTOR  
PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS  
A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS  
AN. CVRIANA. OLIM. ORLAMVNDANA  
POST. ILLOS. INQVISITVRVS

---

CVRIAEC. REGNITIANAE  
LITERIS. IOANNIS. ANDREEAE. HETSCHELII  
GYMN. TYP

## Intersectio II.

## QVIBVS HISTORIAE ERGO HERMVNDVRI?

## Index dictorum.

- |                              |                                |
|------------------------------|--------------------------------|
| §. I. A. A C. N. v. VELLEIO. | §. V. A. CLXVI. CAPITOLINO.    |
| §. II. A. XVIII. TACITO.     | §. VI. A. CLXXVIII. EIDEM.     |
| §. III. A. L. EIDEM.         | §. VII. A. CCCXXXII. IORNANDI. |
| §. III. A. LVIII. EIDEM.     |                                |

## §. I.

Si Germaniae indigenas recte noueris, idem de iis dicas, quod Crispus 1.) de suis, *eis numquam copiam fuisse scriptorum per terrarum orbem priscorum Teutonum facta celebrantium, quia prudentissimus quisque negotiosus maxime erat, ingenium nemo sine corpore exercebat, optimus quisque facere, quam dicere malebat.* Rarae igitur per ista tempora maioribus nostris literae, vna custodia fidelis memoriae rerum gestarum. Frustra ergo laborabis, quidquam de Hermunduris comperire, quam ubi Romanii ad eos penetrarunt. Illud contigit demum *sab duce Tiberio Caesare A V. C. 155CLVIII. 2.)* siue A. C. N. v. 3.) *perlustrata armis, tota Germania.* Scribit enim VELLEIUS post illa: 4.) Denique, quod numquam antea spe conceptum, ne dum opere tentatum erat, ad quadringentesimum miliarium, a Rhenio usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundororumque fines praeterfluit, *Romanus cum signis perductus exercitus.* Miror autem, in omnibus Paterculi editionibus, quarum quotquot potui, consului, immo et in principe Burmanni,

- 1.) Catilin. Cap. VIII. n. 3. et 5.
- 2.) Si Dodwellus Annal. Vellei. §. II. recte posuit calculum, de quo non dubitabis, quam primum intellexeris, Virum illius negotii peritissimum adiecisse suum, id est, Masconium Hist. German. Lib. III. §. XXIII. Memoria autem sefellerit Schoettgenium meum in Spicileg. Diplom. Saxon. P. I. ad §. 3. p. 5. Dodwelli §. 15, excitantem.

- 3.) Ex eiusdem Dodwelli computo in Burmanniana p. 710. vt mirer, qui Schoettgenius potuerit ad illum prouocare annum sextum ponens. Satis habeo, ad quintum ista retulisse Illustriissimum Comitem de Bonau Ger. Caef. et Imp. Hist. P. I. Lib. I. p. 168. et Eccardum de Origin. Germanor. Lib. II. §. III. p. 257.
- 4.) Capite CVI. n. 2. Historiae Romanae.

ni, non nisi *Hermundorum* dari, nec a quoquam editorum animaduerti animaduersione tamen haud indignum, alios omnes habere *Hermundorum*, quod et accepisse videri volunt quidam, qui haec Velleiana in sua transtulerunt. 5.) Si illud *Hermundorum* ab auctore; 6.) Wachteri opinio de hoc nomine 7.) non nihil lucaretur. Num autem *Hermundorum* simul *fraude exercitus Tiberii tentatus* fuerit, quem Velleius scribit 8.) tentatum a Germanis, in medium relinquit Illustrissimus Comes de Bunau. 9.)

## §. II.

Annis decem et quatuor post, hoc est, A.C.N. xviii. 1.) a TACITO 2.) eorum fit mentio narrante, Marobodui ad Romanos profugi 3.) successorem *Catauldam* 4.) haud multo post *Hermundorum opibus et Vibilio* 5.) duce *pulsam receptumque ab iisdem Romanis, Forum Iulium Narbonensis Galliae* 6.) coloniam missum. Barbaros virumque comitatos, ne quietas prouincias immixti turbarent,

B 2

Danu-

5.) Quo in censu sunt Albinus Chron. Misn. Tit. III. p. 42. Cluevius German. Antiq. Lib. III. Cap. XVIII. p. 578. Eccardus de Reb. Franc. Orient. Lib. I. §. X. Tom. I. p. 6.

6.) Cui acceptum quidem tulit aperte Schookius Hist. March. Antiq. Lib. I. §. VII. extr. in Script. Rer. Brandenb. Tom. I. P. I. p. 33.

7.) Infra Capite II. Sect. I. sub examinis incudem vocanda.

8.) Lib. II. Cap. CVII. extr.

9.) Opere saepius laudato p. 169.

§. II. 1.) Quem annum indicarunt iam supra laudati Illustrissimus Comes de Bunau Lib. I. p. 227. Ill. Maffonius Lib. III. §. XVII. Schoetgenius §. 4. Eccardus de Origin. German. Lib. II. §. XXI. p. 303.

2.) Annal. Lib. II. Cap. LXIII. n. 6.

3.) De quo testes Velleius Lib. II. Cap. CXXVIII. n. 3. Suetonius Ti-

ber. Cap. XXXVII. et Tacitus modo citatus.

4.) De quo plura in Hankio de Silefior. Majorib. Cap. XVI. §. 26. seqq. Sommero Regn. Vannian. Cap. II. §. 6. Bunaiano opere Lib. III. §. LX. p. 752. et Eccardi Origin. German. Lib. II. §. XXI. seq.

5.) Confer ad Sum sequentem dicta.

6.) Ideo adiectum, ne cum *Foro Iulio*, quod *Transpadanum* Plinio Hist. Nat. Lib. III. Cap. XVIII, cognominatur, et *Friaul* siue *Friuli* Venetorum hodie oppidum, confundas, quo confusisse nolleum sumnum Vi- rum, cuius inclito nomini parco. Galliae tamen et iam tribuant hoc Taciti Plinii Hist. Nat. Lib. III. Cap. III. Strabo Lib. III. p. 280. Mela de Sit. Orb. Lib. VI. Cap. V. Antonini Itinerarium ex editione limatisima V. C. Wesselingii, quem ibi consularis.

Danubium *ultra inter flumina Marum et Cusum 7.) locatos esse, dato rege Vannio 8.) gentis Quadorum.*

## §. III.

Ad annum aerae Christianae 1. pertinet, 1.) quod IDEM 2.) tradit: Per idem tempus Vannius Sueus a Druso Caesare impositus pellitur regno, prima imperii aetate clarus acceperusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans, et odio accolorum simul dementis discordis circumuentus. 3.) Autores fuere Iubilius 4.) Her mundurorum rex et Vangio ac Sido sorore Vannii geniti. Non autem omnes Sueos Vannium agnouisse regem, hinc satis liquet, quia Hermunduri suum regem habebant, qui tamen natio Sueorum. 5.) Hinc paulo post 6.) idem scribit: Sed Iazyges obfidiomis impatientes et proximos per campos vagi, necessitudinem pugnae adulere, quia Ligiius 7.) Hermundurusque illic ingruerant. Igitur digressus ca stellis Vannius funditur proelio, quam quam rebus aduersi, laudatus, quod et pugnam manu capesfit, et corpore aduerso vulnera exceptit. Ceterum ad classem Danubio obperientem perfugit.

## §. III.

7.) Hodie Morau et Theisse dicta, ad quae lectors nunc hic nunc illuc a recto itinere abductos reduxit Som merus Capite III.

8.) Qui laudato Sommero ansam praebuit librum de Regno Vanniano componendi.

§. III. 1.) Quod discas ex saepe no minatis Bunauianis p. 252. Mascouianis §. XXX. Schoettgenianis §. 5. Eccardianis §. XXX. p. 323. seqq.

2.) Annal. Lib. XII. Cap. XXVIII. princ.

3.) Quod si plura nosse cupis, non poenitebit euoluise Sommeri Regnum Vannianum Capite III. et Eccardi Orig. German. Lib. II. §. XXXI. p. 324. seqq.

4.) Pro quo Muretus obseruante Acidalio ad h. l. Vibellius in mem-

branis innenit, quem Eccardus p. 324. haud perperam eumdem credit, quem So priori ex Tacito produxi. Sommerus saepius nominatus C. III. §. 3. p. 21. maunt Iabel aut Gabel dici, improbante Schoettgenio Spicileg. Diplom. Saxon. P. I. p. 8. qui istud nomen haud inuita Minerua iudicat ortum ex Waibel, quod vel in hunc usque diem in Feldwaibel est superstes.

5.) Quam in rem pluribus disseram, si Deo ita visum, proxime Sect. II. Intersect. I.

6.) Cap. XXX. princ.

7.) De quo populo vel ipse Cornelius in Germania Cap. XXXXIII. n. 4. seqq. te doceat, ni plura cupis, quae congesfit ille Sommerus Cap. I.

## §. III.

Octo annis interpositis A C. N. LVIII. l.) adhuc semel idem CORNELIUS 2.) in scenam protraxit Hermunduros scribens: Eadem tempestate inter Hermunduros Cattosque certatum magno proelio, dum flumen gignendo sale fecundum et conterminum 3.) vi trahunt, super libidinem cuncta armis agendi religione insita, eos maxime locos propinquare caelo, precesque mortaliū a deis nusquam proprius audi. inde indulgentia numinum illo in anno illisque silvis Salem prouenire, non ut atias apud gentes eluui maris arescente vnda, sed super ardente arborum struem fusā, ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concretum. Sed bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitiosus fuit, quia victores diuersam aciem Marti ac Mercurio sacrauerē, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur.

## §. V.

Hinc per seculum nulla Hermundurorum mentio, dum Antonino Philosopho imperante gentes omnes ab Illyrici limite usque Galliam conspirauerant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri et Quadi, Suevi, alii, quos CAPITOLINVS 1.) enumerauit, in cuius tamen uno codice inuenit Casaubonus 2.) Hermunduli fere, ut in quibusdam Iornandis 3.) libris. Sed et hic illi a Suevis distinguuntur, ut paullo ante 4.) in Tacito. Contigit hoc anno A C. N. CLXVI. 5.)

## §. VI.

Recrudit illud bellum, ad quod ipsis Nonis Sextilibus A C. N. LXXXVIII. 1.) profectus est denuo Marcus. De hoc idem CAPITOLINVS 2.) Triennio bellum post ea cum Marcomannis, Hermunduris,

B 3

1.) Indicibus saepius laudatis Quantoruiris Bunaui Lib. I. p. 256. Malcouio §. XXXV. Schoettgenio §. 6. Eccardo §. XXXV.

2.) Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7. eorumdem Annalium.

3.) Quodnam, inquiratur infra Capite III.

§. V. 1.) In Antonin. Philosoph. Cap. XXII. princ.

2.) Vide notas eius ad h. l.

3.) Paullo post §. VII.

## 4.) §. III.

5.) Ut pronunciarunt post Tillemontium ad Vitam Marci nota X. Illusterrimus Bunauius P. I. Lib. II. p. 318. et Ill. Mascouius Lib. V. §. XIII. ut vero Eccardus §. LXXI. Libri II. anno CLXVIII.

§. VI. 1.) Definiente Illustri Mscouio meo Hist. Teuton. Lib. V. §. XXII.

2.) Cap. XXVII.

munduris, *Sarmatis*, *Quadi* et iam egit. Dio Casius 3.) *Scythicarum rerum* nomine ista comprehendit vulgari ipsis temporibus loquendi ratione. 4.) Nec Eutropius 5.) *Hermunduros* nominauit, quippe qui scribit, *Marcum ingeni labore et moderatione, cum apud Carnuntum iugi triennio perseuerasset, bellum Marcomannicum confecisse, quod cum his Quadi, Vanduli, Sarmatae, Sueui, atque omnis barbaria commouerat*. Sed latuerint illi aut sub *omnis barbaria*, quo nomine *Germania* Romanis scriptoribus quam saepissime venit, aut sub *Sueuis*, quorum natio *Hermunduri*. Ceterum quidem non est huius loci inquirere, an fallatur 6.) hic Eutropius hoc bellum cum illo priori 7.) confundens. Non multum ab eo diuertit Orosius, 8.) *gentes immunitate barbaras, multitudine innumerabiles, hoc est, Marcomannos, Quados, Vandalos, Sarmatas, Sueuos, atque omnem pene Germaniam insurrexisse, dicitans.* Galenus 9.) istos inuoluit τῷ ΤΕΡΜΑΝΙΚΩΙ πολέμῳ.

## §. VII.

IORNANDES, qui quibusdam Iordanes, meminit 1.) eo tempore, quo Geberich rex Gothorum Vandalis bellum intulit, A.C. N. cccxxxii. 2.) *Hermundurorum. Erant*, inquit, *namque illis* (Wandalis) *tunc ab oriente Gothi, ab occidente Marcomanni, a septentrione Hermunduri, a meridie Hister, qui et Danubius dicitur.* Variant quidem editores in scriptura huius gentis, quae aliis *Ermunduri*, aliis *Ermunduli*, aliis *Hermundui* est. Quot autem canina litera pronunciati difficilior, vt eam vel plane silentio transeant, vel vt l audire patientur? 3.) Et quam vix sentientibus elabitur h? 4.) Inde

3.) Lib. LXXI. p. 814.

4.) Interpretē Eccardo de Origin. German. Lib. II. §. LXXXIII.

5.) Breuiar. Histor. Roman. Lib. VIII. Cap. VI. n. 9.

6.) Ut fallitur Salmasio ad illa Capitolini, de quo tamen nullus Eutropii editorum, ac ne quidem nouissimus Cl. Grunerus.

7.) S. V.

8.) Hist. Lib. VII. Cap. XV. (VIII.)

9.) Περὶ τοῦ προγνώσκειν et περὶ τῶν ἴδιων βιβλίων.

§. VII. 1.) De Reb. Got. Cap. XXII.

2.) Quem annum contra Baronium tuetur Pagius, idque vrget ex Idatio ad h. a. et l. 4. de sponsal. Cod. Theod. quam in rem euoluas Relandi Faſt. Consul. ad h. a. p. 331. seqq. Suffragatur Ill. Mascoius Hist. Teut. Lib. VI. §. XXVIII. nec dissentit Illustrissimus Bunauius P. I. Lib. II. p. 409.

3.) Quale huius nationis nomini

Inde vero sua hausit Ioannes Magnus. 5.) *Habebant autem, inquit is, sub rege suo (Vandali) mansionem ad ripam Danuhii borealem, a Gorbis autem ad occidentalem supra gentem Marchomannorum, qui ab illis ad occidentem habitabant: a meridie Danubii ripam, ab aquiloni Hermunduros habebant.*

Sed ad alia.

IOANNES CHRISTIANVS WILHELMVS LVDOVICVS de BRAND,  
Generosissimo Viro Ioanne Adolpho Gotfrido, qui Naeslitium  
superioris Palatinatus religionis causa cum Buhla ad Crusiam Fran-  
coniae permutauerat haud multo ante, et Generosissima Eua Vr-  
fula ex gente, cuius proles mascula defloruit prorsus, Rabensteinia-  
na, septem horarum interuallo a. d. VIII. Calendas Februarias  
anno ccccxxxiii pie defunctis orbus redditus parentibus alte-  
ros nactus est a patre matreque adsinitate sibi coniunctissimos Vi-  
ros Generosissimos, Georgium Christophorum de Reizenstein, cu-  
ius fedes Hartungs, Incito Curiensi prouinciae Ordini Equestris  
Praefectum, Philippum Henricum Petrum et Mauritium Bernhar-  
dum Erdmannum fratres germanos de Arnim, illum Naritii hunc  
Sebitii sedentes, quorum posterior quoque Adsesor Iudicii, quod  
nostris dicunt, feodalis est patrii. Horum auspiciis a Viro Iuris  
Peritisimo Ioanne Carolo Sigismundo Mullnero, Serenisimi  
Markgrafii a consiliis iustitiae, eius hospite adductus ad Curianum  
ipsis Idibus lunii anni ccccxxxviii. In hoc tribus annis post  
Martini memoriam reculturnus ex ultima persecuzione Christiana sub  
Diocletiano petiti argumentum portas infernales ciuitatem Dei de-  
fendere non posse sermone Gallico, cuius dulcedine captus, vt dicat  
gymnasio vale, an nobilium filii dicendi equites, inquiret, persuasus  
virtutem et bonas artes vere nobilitare, quas haud inepto ingenio  
morum elegancia se commendante hausit, hausturus iura eodem  
saepè a nobis admonitus, quibus imaginibus oneretur, quae no-  
mina et quanta sustineat.


IOANNES

contigisse memineris ex §. V. Nec  
sine exemplo vernaculae nostrae apud  
Behrndts von Ellen §. 5. et 6. in So-  
cietatis Teutonicae Lipsiensis Bey-  
trāg. zur Deutsch. Sprach. P. VIII.  
p. 42. seq. et Wachterum in Prole-  
gom, Glossarii sui Sect. II. §. XXII. ac

Sect. III. sub L. et R.

4.) Quod Iornandis librariis saepe  
elapsum est in Eruli, Elladae, Erma-  
naricus, pro quo alii Heruli, Hella-  
dae, Hermanaricus.

5.) Goth, Sueon, Hift L. VI. C. XXI.  
Addas Kranzium Suecia L. II. C. XIII.



JOANNES DANIEL GROS, Viri Nobilissimi Georgii Christophori, qui Principis Serenissimi praefectum Rehauii in vicinia agit per quadraginta duo annos, ex tertio matrimonio filius natu maximus a. d. VI. Idus Quintiles anni 1595 XXXVIII. Curiano, cui iam quatuor commendauit, commendatus. Anno 1600. quatuor mensibus post, quam publico examine in superius auditorium escenderat, carmine vernaculo *Dei prouidentiae praeceptorum opinionem nasci iubenti FRIDERICVM*, qui nauem Baruthinam tot procellis salvam in portum deduceret prudentissimus, grates egit quam maximas, natalem istius OPTIMI PRINCIPIS celebrandi causa, vt anno post eiusdem nominalem Latina oratione scholasticos praedicauit optimos ciues. Iam fratris natu maximi V. Pl. R. Ioannis Christophori Pastoris Geroldsgrunensium, aequa quondam auditoris nostri diligentissimi atque nobis addictissimi, vestigia lectorus vindicabit veterum Germanorum manes *α πολυθεότητος culpa vernacula*, quem probum Eōtēsia Inclita Salana Thuringorum obstetricie Amsdoriana munificentia formare incipiat, Fridericiana autem Franconica Spectatisima in sinu patruelis in se propensisimi Viri Generosi Ioannis Gotfridi Grossii Romanorum Imperatori a consiliis perficiat in gentis suae solatium.

FRIDERICVS AVGVSTVS CHRISTIANVS HOFMANN, Ioannis Iacobii Viri Nobilissimi, ad quem Lichtenbergenses et adiacentis agri coloni conferunt tributum PATRI patriae CLEMENTISSIMO pendendum, filius tertio loco natus, quatuor menses citius Grossio, qui eius lateri inde semper adhaesit, ciuitatem scholasticam consecutus est hic, qua dignum se praestitit adente audiendo, audita altius pensando, ad lectiones se preparando, impetu animi respresso ardoreque, qui tot adolescentes in aula abripit, restincto. Publico confesu cuius primi ordinis vix quatuor mensium Burggraviatus Norimbergensis superioris initia, quae quo minoras, eo laudabiliora, et anno emenfo bonum principem a paucis pro Dei beneficio insigni agnoscit, illud Latine, hoc Germanice exposuit, quo utroque summum Numen precabatur, vt plurimos et felicissimos natales florente statu rei publicae nostrae agat. FRIDERICVS ei INDVLGENTISSIMVS, cuius gratia fultus est operatus Fridericiana Themidi, Themidos Teutonicae quae ex Tacio lux lingua Latii monstratum iens hinc, vt infigat memoriam sui sempiternam patronis, quem in primis expertus est hac tenus V. Amplissimum Nic. Christ. Wirthium Serenissimo Principi a camerae mandatis et rei cursoriae magistrum.

Yb 4473

KD 18

ULB Halle  
006 302 904

3



2c





# Farbkarte #13



CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
HERMVNDVRORVM  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. II

---

VT. AD  
AVDIENDOS. BENEVOLE  
D. XXVII. MART. CICICCLIII  
H. L. Q. C

IN. ILLVSTRI. CVRIANO  
TRES. EIVS. CIVES. IN. ACADEMIAS. ABITVROS  
CVRIAEC. PROCERES. CIVES. Q

RITE. INVITET  
EIVSDEM. RECTOR

PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS

A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS

AN. CVRIANA. OLIM. ORLAMVNDANA  
POST. ILLOS. INQVISITVRVS

---

CVRIAEC. REGNITIANAE  
LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII  
GYMN. TYP